

obrepit, ibi omnia turbantur et extrema metuenda sunt. Primum Adami malum (uti appellat D. Thomas, opusc. LVIII. cap. I.) fuit oblivio præcepti sibi dati; et quid inde non mali ortum? Hinc homo, *enos* Hebr. dictus, h. e. *obliviosus*; et derivatum in nos est malum illud. Petrus oblitus est verbi Domini Jesu, quod eum negaturus esset; et hinc ejus lapsus prodit. Hinc ergo Deus toties inculcat memoriam sui, præceptorum ac beneficiorum suorum, uti Deut. VIII. *Observa et cave, ne quando obliviscaris Domini tui: ne postquam comederis et satiatus fueris, etc. elevetur cor tuum, et non reminiscaris Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, etc.* Hinc tam sæpe nos flagellat, ut simus ejus memores; uti Absalon Joabum, II. Reg. XIV. « Nolebat, (inquit Oleaster, in cap. XXVI. Isaie,) loqui ad regem pro Absalon, neque pro eo preces fundere; qui servissus præcepit agrum ejus incendere, ut incendio agri commotus, pro eo apud regem intenderet. Sic Dominus sanctos suos sui immemores facit, cum corpora incendit, bona subtrahit, et mala immittit. » Ita Philistæis et Chananæis tradidit Hebræos, quia *obliti sunt Dei sui*, Jud. III. § VII. Rursum *obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manum Sisaræ*, ait Samuel, II. Reg. XIII. Idem nos experimur hoc calamitoso tempore, quo a tot hostibus tandiu undique expetitur. Itaque stemus simul et suscitemus Christum per memoriam ipsius præceptorum et beneficiorum ejus, fietque tranquillitas.

V. *Dormiebat*, inquit Origenes, hom. VI. in diversos novi testam. ut apostolus faceret vigilare, et ne omnes nos unquam animo obdormiamus. Obdormimus autem animo quando in grave peccatum, quod absit, incidimus: et tunc obdormit in nobis Christus, sed somno lethali, deserendo nos. Metuendus est hic somnus super omnia terribilia: quæ enim tempestas, quæ perturbatio, quod periculum non oriatur ex hoc somno? Mortem Christi in cruce quæ secuta sint prodigia, quæ mundi turbatio, callemus. Nam imprimis sol retraxit radios suos, petra scissæ sunt, terra mota est, monumenta aperta sunt, velum templi scissum est. Non sunt dissimilia, quæ contingunt hominibus, in quo Christus obdormit, seu moritur in animo ejus. Christus enim lux mundi retrahit ab eo lumen gratiæ suæ, necnon intelligentiæ, ut miser nesciat ubi sit, in quam misero et periculoso statu, unde Adamum lapsum interrogavit: *Adam ubi es?* (q. d. inquit D. Gregor. III. moral. cap. IX.) « Quia te in luce qua posui, non invenio, demonstra ubi te posuisti? Unusquisque enim per peccatum projicitur, ibi occultatur, et quasi perditus, ubi sit, nescitur, quando jus-

titia lucem, in qua eum Deus possit, derelinquit. » Deinde petra, hoc est, angeli ss. in Dei gratia solidissimi et immobiles dolent et tristantur, nullius alioquin tristitiæ capaces. Ita enim Isa. XXIII. dicitur: *Angeli pacis amare stebunt*; quod de angelis cœlestibus intelligit Hieronymus, quia privabuntur maximo gaudio, cum quis labitur in peccatum; quod alias haberent, si non laberetur. Ad hæc movetur, quando ipse peccator, qui sane terra est, tremore et remorsu concutitur ob Deum offensum ejusque iram inevitabilem sibi impendentem; qualem in membris etiam, non in corde solum sensit Cain fraticida. Quid hoc tremore, quid hoc conscientia carnificis sævius? Quid intolerabilius? Mundus eis angustior est, homines ursi et leones fiunt, nox in diem vertitur, adeo nusquam se latere posse existimant. Rursum monumenta illis aperiuntur, quia infernus, quem meruere, aperit fauces suas ad deglutendum eos. Si enim peccantes angeli rudentibus inferni de cœlo detracti sunt in tartarum, quomodo illi sibi non metuent in terra, ne et ipsi detraherentur, qui similiter deliquerunt? Tanti enim ponderis est peccatum, ut nisi Dei misericordia sustentaret peccatorem, continuo in abyssum, sua mole devolveretur.

Denique in templo velum sacrum quasi scinditur, quia facta ipsi cœlestis hereditatis promissio rescinditur, cassatur et laceratur: adeoque nomen ejus ex libro vitæ exterminatur. O tremendam mortem! O lethalem somnum! Ergo si quis forsitan causam suo peccato dedit, ut hoc pacto Christus in ipso obdormisceret, adeoque moreretur, quam primum extollat vocem, et clamet cum apostolis: *Domine, salva nos, perimus. Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, et ne repellas in finem; ut redeunte tranquillitate te laudemus et glorificemus in sæcula.*

## CONCIO II.

### CAUSA TEMPESTATIS, QUIA CHRISTUS MALE HABETUR A QUAM MULTIS.

I. Ab iis, qui nomen Dei et Jesu in vanum assumunt. — II. Qui verbum Dei auditum vel lectum tractant levitate. — III. Ab iis, qui nulla aut exigua reverentia sumunt eum in eucharistia. — IV. Ab iis, qui pauperes et mendicos negligunt. — V. Ab iis, qui servos indigne habent.

### THEMA.

*Ecce motus magnus factus est in mari.* Matth. VIII.

Varias sancti patres indagant causas motæ

tempestatis, sed qua audimus in hod. evang. sed cur ad rivulos imus, (qui quæ Matthæus præterit, adimplere solet) causam, si non principem, nonnullam tamen insinuare, quando ait, cap. IV. *Assumunt eum discipuli, ita ut erat in navi; ad transfretandum scilicet, q. d. sine cibo et comenatu, sine thoro, sine tapete, omnique ornamento, prout in navicula prius concionabatur, ita eum abducunt, velut alium quemvis remigem. At videtur hoc parum decuisse mundi creatorem, ideoque elementa, mare imprimis et venti contra hoc murmurasse, quod communis eorum Dominus non majorem respectu et honore haberetur. Quemadmodum enim Deus Ægyptios, quando filios Israel, servos ejus humaniter acceperunt, et benevole habuerunt, beneficiis cumulavit; quando vero ipsos pessime tractare et laboribus opprimere ceperunt, tum et ipse variis plagis eos flagellavit: ita etiam licebit alicui cogitare, fuisse elementa Christi discipulis, quando honore debito ipsi servierunt; nunc vero rebellasset, et tempestatem excitasse, quando ad ejus reverentiam minus attenderunt. Verum quicquid de hoc sit (quod non frustra Marcum arbitror scripsisse certe mihi persuadeo, multos exagitari variis tempestatibus, quod sine reverentia et debito honore Christum assument, accipiant et tractent. Hos igitur nunc videamus.*

I. Male et irreverenter habetur ab iis, qui assumunt nomen Dei, et præsertim nomen Jesu in vanum, et pronuntiant absque ulla reverentia. De hoc habemus secundum decalogi præceptum, Exod. XX. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Representat enim nomen Dei ipsum Deum, non secus ac imago Christi refert Christum. Unde in ss. litteris nomen sumitur pro re ipsa, et vocari est idem quod esse, ut cum dicitur Ezech. XLVIII. *Nomen civitatis, Dominus ibidem*, h. e. Dominus est ibidem: et cum Isa. IX. dicitur Christus vocandus *consiliarius, admirabilis, etc.* et Matth. I. *Emmanuel, etc.* Notum est quanto in honore esset Dei nomen tetragrammaton apud Hebræos, in tanto nimirum ut diceretur ineffabile, quod non nisi sacerdotibus sive pontificibus, cum sacrificarent et in Sancta Sanctorum introirent, proprium et essentielle: laici vero dum ab illis pronuntiantur, prostrati in terram maxima cum reverentia audirent, ideoque quoties id nomen in Scriptura occurreret, ejus loco legerent *Adonai* vel *Elohim*, uti etiam Christus et apostoli, qui cum citant Scripturam Hebræam, in qua habetur illud nomen, pro eo substituant nomen *Dominus*. Ad hæc Judæi moderni cum jurare

coguntur per nomen Dei, non aliter jurant, quam pronuntians quatuor ejus litteras. Juro per iod, he, vau et iod. Rursum si quis in suo nomine haberet tres vel quatuor litteras ex illo Dei nomine, reverentiæ gratia non eum proprio, sed alio vocabant, ut si *Judæ* nomen haberet *leonem* vocarent, propter id Gen. XLIX. *Catulus leonis Juda*. Qua de causa Judam Thaddæum dictum volunt *Lebbæum* seu *leoninum*, a *labi*, quod est *leo*, docti aliqui. Denique id nomen tam venerabile erat Hebræis, ut summus pontifex id in fronte inscriptum aureæ laminæ gestaret, ab omnibus adorandum; quod et Alexandrum M. in Jado pontifice adorasse, cum Jerosolymam ingressus est, scribit Josephus, lib. XI. antiq. c. ult. Ex quibus omnibus discimus male agere et peccare eos, qui identidem quavis in re levicula Dei nomen effutiunt, et in testem vocant, omnia confirmando et jurando per Deum; cum vel ipse Arist. I. metaph. c. III. dicat, juramentum esse summo honore dignum, nec parva Deo injuria sit, passim et sine urgente causa ipsum vocare in testem, cum hoc princeps nullus facile toleraret. Multo vero gravior majorque irreverentia est assumere nomen Dei in testimonium rei falsæ, quod est pejerare, uti patet, id enim aliud non est, quam ipsum facere velle mendacii auctorem et protectorem, quæ tanta est Dei injuria, ut propter unius perjurium punita sit interdum tota resp. Sane ob perjurium Saulis, quo contra fidem datam a Josue, occidit Gabonitas, fame triennali afflictus est omnis Israeliticus populus; nec cessavit calamitas, donec posterius Saulis eis traditi, ab eisque crucifixi sunt, II. Reg. XXI. Ob perjurium, seu violatum juramentum, Dei nomine interposito factum, Sedeciæ regis, et ipse captus atque exoculatus, et filii coram eo occisi, et Judæa eversa, et incolæ in captivitatem ducti sunt, IV. Reg. XXIV. et XXV. et Ezech. XVII. Quanta tempestas orta est, ob unicam nominis Dei irreverentiam! Gravissima et omnium maxima divini nominis irreverentia est blasphemiam; adeo ut sacræ litteræ vel ipsum blasphemiam nomen horreant, et pro eo benedictionem reponant, cum ejus mentio fit, uti Job, c. I. § V. et XI. et III. Reg. XXI. § X. *Benedixit Deum (Naboth) et regem, et educite eum et lapidate.* In quem locum S. Ambr. I. de Naboth, c. XI. scribit: *Ne divitem maledicti nomen offendat, et sermonis ipso lædatur sono, benedictum pro maledicto vocatur.* Scimus ob blasphemiam Sennacherib regis, totum ejus exercitum fuisse una nocte ab angelo interfectum, IV. Reg. XIX. Impugit etiam in hanc Dei irreverentiam graviter juvenili temeritate Alphonsus X. Asturiæ rex et

designatus Cæsar, qui ore blasphemus palam dicebat: Si a principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, nonnulla melius ordinatiusque condita fuisse. O vana, o funesta, o superba atque inutilia verba! Sed non caruerunt divina ultione. Ea enim nocte tam horribiles et insolitas tempestates et spiritus procellarum, tot denique tonitrua, tot fulgura, tot coruscationes et fulmina, ut cælum cadere putaretur, sed et in cubiculo regis sagitta fulminea visa est, vestes regis atque reginæ comburens. Rex vero attonitus cubicularios custodesque monet, ut illico eremitam (qui illum hac de re admonuerat) adducant. Quem ut rex vidit, prociens ad pedes ejus: *Ego, inquit, sum qui peccavi.* Eremita vero ad eum ait: O utinam rex memor fuisses verborum sapientissimi Salomonis: *Vanitatem et verba mendaces aliena fac a me.* His igitur verbis rex ipse, simul et metu instantis mortis cum magno animi mœrore eidem eremite confessus est, et publice verba nefanda retractavit. Cum itaque lacrymis plurimis pectus contereret, incipiebat cessare tempestas. Quinimo quanto arctius dolebat, tanto tranquillior serenitas cernebatur. Itaque meruit humilitate consequi, quod superba sui præsumptione demeruerat, Roder. Sanct. IV. p. Hisp. c. V. ex annal. Hisp.

II. Ab iis, qui verbum Dei sive auditum in concione, sive lectum in ss. litteris, sine reverentia accipiunt, levicule tractant, ad jocos transferunt, et ad profanos usus applicant. Vidimus alibi ex lib. L. hom. S. Augustini, verbum Dei nihilominus honorandum æstimandumque, atque ipsum Christi corpus, ideoque olim in templis S. Scripturam e regione venerab. eucharistiæ in simili secretario cum eo, quod venerabile continebat, asservari solebat, ut testatur S. Paulin. epist. XII. ad Severum. Quantam ergo irreverentiam Christo inferret, qui sacrum ejus corpus in terram cadere permetteret, tantam inferret, qui ejus verbum lectum vel prædicatum vilipenderet ac negligeret. Gravius adhuc longe, qui per contemptum in terram abjiceret quod profecto fit quando spernitur, ridetur, et ad jocos adhibetur. Scimus ex Dan. c. V. regem Balthasar et regno et vita exutum, civitatemque ejus potentissimam, Babylonem, a Cyro occupatam et gladio vastatam in pœnam ejus irreverentiæ, quam exhibuit sacris vasis e templo Jerosolymitano sublatis, quando jam temulentus jussit ea in convivium afferri, bibique ex iis cum optimatibus, uxoribus et concubinis suis; adeoque dicata Deo vasa, inquit ibi Theodoretus, quæ Nabuchodonosor (pater ejus) in honore habuerat, et ab

humanis usibus separaverat, ea Balthasar (sic legendus, non Balthasar, ut patet ex Chaldæo et Latinis Plantin.) ut communia et profana impure tractare ausus est. At quis neget æque magnæ, imo majoris dignitatis esse S. Scripturam et Dei verbum, quam sint vasa sacra? Quid mirum ergo si ob illius profanationem sæviat ira Dei, et tempestas oriatur, non solum ad puniendum contemptorem, sed et alios, qui cum audiunt, non corrigunt! Certe quando Joachim rex sermones Isaie sibi prælectos scalpello concidit, et in ignem conjecit: *Non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua omnes servi ejus* (et exprobrat eis Jeremias) *qui audierunt universos sermones istos*, Jer. III. Quare minatus est eis Deus adventum regis Babylonis et excidium: *Visitabo contra eum, et contra semen ejus, et contra servos ejus iniquitates suas, et adducam super eos et super habitatores Jerusalem, et super viros Judæ omne malum, quod locutus sum, etc.*

III. Ab iis, qui nulla aut exigua nimis reverentia, Christum in eucharistia sumunt. In s. communionem Christum excipimus in cor nostrum, uti Petrus cum excepit in cymbam suam. Jam vero sicut Petrus nullo prorsus apparatu, nullis tapetibus, nullis sedilibus, nullo lecto in quo requiesceret, (quia pauper scilicet nihil horum habuit) sed ita ut erat in navi, situm concionantis assumpsit, et avexit secum in mare: ita non pauci nulla fere præparatione, reverentia et devotione eum sumunt in communionem, et mox e templo egressi secum auferunt in domum, redeuntque ad pristina negotia sæcularia, confabulationes, nugas. At hi certe imprimis non advertunt Christum ad conficiendam et instituendam eucharistiam eligisse *cœnaculum grande stratum*, ut scribit Marcus, cap. XIV. stratum, hoc est, instructum mensis, thoris, tapetibus, frondibus adornatum, ut huic plusquam regali convivio loci dignitas non deesset. « Si enim, ait Philo Hebræus, lib. de Cherubim, quoties reges excipiendi sunt, magnificentius excolimus aedes proprias, nihil negligendo quod ad ornatum pertineat, sed omnia benigne ac liberaliter adhibemus, ut hospitium quam jucundissimum respondeat dignitati hospitis, Regi regum, et hujus mundi rectori, comitatis atque humanitatis causa dignato suam creaturam invisere, et a summo cœlo ad terram, ut generi humano beneficia sua conferret, digressio, qualem tandem domum oportet instrui? Absit enim ut lapideam ligneamve, quod vel dictu nefas est. Nam etiamsi tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius, repente fieret, ne sandalum quidem ejus pedibus posset fieri. » Nimis

igitur crassi et prorsus inurbani sunt, qui regem cœli et terræ sine reverentia suscipiunt. Qui certe meminisse deberent quid acciderit Ozæ, qui quod nulla necessitate, et sine reverentia (uti sentit S. Gregorius, lib. V. moral. cap. X. et Abulensis) arcam fœderis tetigisset, subita morte plexus, Davidem et omnem populum in terrorem conjecit, II. Reg. VI. At quis nescit arcam illam meram eucharistiæ umbram fuisse? Quanto igitur gravius et culpabilius erit ipsum Dei Filium sine veneratione, non dico solum tangere, sed et manducare, et cordi suo includere? Et sane sicut unius Ozæ temeritas omnes terruit, ita unicus Judas indigne et irreverenter assidens sacræ mensæ ipsum Christum et omnes ejus discipulos perturbavit. Persarum regi, qui exertis extra manicas manibus occurrisset, vel regis sella sedisset, vel ejus vestem donatam, laceram licet et detritam, induisset, mortis sententiam incurrebat, ut referunt Xenophon, lib. II. Cyrop. Diodorus, lib. VII. Curtius, lib. VIII. Quid non merebitur, qui regem cœlorum sine reverentia ori suo ingerit? Legimus Matth. IX. hæmorrhoissam quidem Christum tetigisse in sola vestis fimbria, et sanitatem recepisse; turbam vero incompositam eodem tempore Christum comprehendisse, interim nihil prorsus gratiæ retulisse. Eecur vero? Utique quia illa cum maxima veneratione, hæc vero cum imprudentia et irreverentia Salvatorem tetigit. Jure igitur in tales insurgere elementa possent, quod absque debito cultu creatorem sibi communem assumant in naviculam cordis sui, et cum eo mox se proripiant, veluti si lupo oviculam asportaret. Et certe vindicem ac carnificem hujus sceleris fuisse mare, et quidem clade publica, propter unius hominis delictum refert Nauclerus, volum. II. gener. IV. an. 1220. « Friso quidam pugil in provincia Frisia exilit, qui quoties de taberna ebrius rediit, toties uxorem verberibus et plagis satis tribulavit. Tempore quodam ipsa timore mariti, infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, corpus Domini sibi dari postulavit. Venienti sacerdoti pugil cum scypho cerevisiæ ebrius occurrens, bibere monuit; et cum ille responderet: Corpus Domini porto non modo bibam, iratus Friso cum scypho pyxidem percussit, et omnes hostias de illa excussit, ita ut per pavimentum dispergerentur. Matronæ vero, quæ consolationis gratia convenerant, super singulas hostias tamquam stellas radiantes viderunt: quas sacerdos gemens ac dolens in pyxide recollegit, et abiit. Friso vero a decano provinciæ citatus, excommunicatus est sed non curavit. Qui tandem ad

hoc compulsus est, ut cruce pro tanto sacrilegio signatus, cum jam dicto sacerdote etiam cruce signato veniret Romam. Cui Dominus Honorius papa culpam confitenti pro pœnitentia injunxit, ut mare transiret, ibique tribus annis in armis Christo serviret. Quid plura? Mare transierunt ambo et ante Damiatam mortui sunt ambo, quibus defunctis, cum anno eodem Dominus provinciam terribiliter plagasset, et causa plagæ populum lateret, matronæ cuidam valde religiosæ Domino in orationibus, jejuniis, vigiliis, et orationi servienti, materteræ videlicet Winiboldi abbatis S. Bernardi, B. Dei Genitrix Maria, lacrymis ejus mota, populique miseria, apprensus sic ait: Propter injuriam Filii mei in sacramentum corporis ejus factum submersa est Frisia et adhuc amplius plagabitur, si condigna pœnitentia non fuerit subsequuta. » Extant usque hodie turres oppidorum et pagorum depressorum e mari prominentes, in monumentum et ultionem tam diri sceleris.

IV. Ab iis qui pauperes et mendicos negligunt et postremo loco habent, parum etiam aut nihil juvant, vel certe pessima quæque eis adjiciunt. Plusquam satis novimus Christo fieri, quod pauperibus amore ejus fit adeoque ipsum in eis latere. Qui ergo pauperes male habet, certe sciat se nihilo melius Christum habere. Quinetiam videtur Christus non obscure designare ut potius pauperibus exhibeantur officia pietatis quam sibi ipsi: quod ex eo colligit S. Bernardus, serm. XII. in Cant. quia sanctorum illarum mulierum, quæ cum unguentis ad sepulcrum iverant, adventum anteverterit, ut unguentum illud in suo corpore impenderent, sed egenis Ecclesiæ membris servarent. Quod etiam ss. patres observarunt quando ad juvandos pauperes, et redimendos captivos vasa etiam sacra vendenda et conflanda censuerunt, uti S. Exuperius Tolosæ episcopus, de quo S. Hieronymus, ep. ad Rusticum monachum ait: *Omnem substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Vult dicere eum aurum et argentum Christi corpori subtraxisse, ut relegatur in pauperes. Hinc igitur colligite, quanta reverentia, humanitate et benevolentia pauperes excipiendi sint; quamque Christus doleant, si despiciantur et negligantur. Sane Sap. Prov. c. XVII. ait: *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus.* Causam subdit auctor catenæ Græciæ: « Quia deridet sapientem Dei gubernationem, quæ fecit hunc pauperem et afflictum, ut tu illi condoleres, in illumque misericordiam exerceres. Quis ergo ita immanis, omnisque hu-

manitatis ita oblitus fuerit, ut eum ludibrio habeat, cui compati omni jure debebat? » Sic ille. Hinc non raro Deus graviter punivit delusores pauperum. Hædie nobilis femina, quia egenis esurientibus dicere solebat, ut fimum et sterquilinum comederent, ita punita est, ut famem exsaturare non posset nisi fimo et terra; sicque insanians occumberet an. 1541. auctore Fincelio. Margaritam Hollandiæ comitissam, quæ pauperulam duas in ulnis proles gestantem probro exceperit, quasi duobus viris consuesset, ad imprecationem feminae tot edidisse proles, quot in anno dies sunt, notum satis est, et alibi relatum. Carolum M. quoque, qui ad honorem duodecim apostolorum duodecim alebat pauperes, minus tamen honesto victu et vestitu, redargutum ab Aigolando, Saracenorum principe, erroremque emendasse, alibi etiam retulimus ex Turpino. Neque semper hæc pœna stetit in solis delinquentibus; sed ut supra indicavimus, trienniali fame percussit Deus populum Hebræorum, propter injuriam, quam irrogavit Saul pauperibus Gabaonitis, II. Regum XXI. Et quot plagis percussit Ægyptum ob pauperes Hebræos a Pharaone oppressos et indigne habitos.

V. Ab iis, qui servos Christi et vicarios ejus, prælatos et superiores, in quibus etiam ipse latet, indigne tractant. Scimus ejus verbum: *Qui vos spernit, me spernit*, Luc. X. et Zach. II. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: et Psal. CIV. *Nolite tangere christos meos*. Non ait: Nolite calumniari, deridere, percutere, spoliare, occidere; sed *nolite tangere*; adeo vult ipsos haberi in honore. Ostendit id imprimis in B. Maria Oigniacensi, quæ dum ipsius manum familiaris quidam amicus ejus, spiritali affectu, etsi non absque motu aliquo carnis primo et inculpato acutius stringeret, vocem ab excelso audivit: *Noli me tangere*. Quam cum amico aperuisset, cautioem eum reddidit, ut in ejus vita Jacobus cardinalis a Vitriaco, apud Sur. 23. jun. Quod si sponsam suam Christus tangi non voluit, quomodo sustinebit alios servos et sponsas suas sperni et vilipendi? In S. Avitum abbatem quidam civis lusit, quando in ejus festivitate, ad vineam operaturus perrexit, et a quibusdam de hoc increpatus dixit: *Et hic quem colitis, operarius fuit*. Verum ubi ingressus vineam primo ictu terram aperuit, mox reforta cervice, facies in tergum conversa est, refert S. Greg. Turonensis, de gloria confess. cap. XCIX. In S. Anselmi infirmi valetudinem alius scemma coniecit, et mox una cum equo, cui insidebat, per devexum montem longo rotatu præcipitatur, ut in ejus vita apud Sur. 21. april. S. Bernardino Sennensi equitanti cum Sigismundo

imp. ab Aquila civitate Romam versus, quidam murarius tector e tecto obgannit per jocum: *Quonam iter habet noster pontifex?* statimque magno excitato vento decidit e tecto in terram, non mediocriter læso et quassato corpore; a sancto tamen cruce signatus, iterum convalluit, in vita 29. maii apud Sur. Miles, Arnoldus nomine, S. Engelberti sanctitati detrahens, ad insaniam redactus et furibundus obiit, in vita 7. nov. Incolæ Strodi, pagi Anglicani, dum apud ipsos divina celebraret S. Thomas Cantuariensis episcopus, in ludibrium equo ejus caudam absceiderunt: inde eorum posterius omnes, divina ultione, cum cauda equina nascuntur usque in hodiernum, ut refert Guilielmus Paradisus, in descript. Angliæ, cap. IV. Mulus S. Thomæ Aquinatis, dum post ejus obitum a fabro calcatur, et faber interim scomma in sanctum jacit, dicens: Quid is miraculi fecisset, quod sanctus appelleretur! Illico in os fabri calces impingit, docens eum aliter venerari sanctos. Refert Pet. Sanchez, lib. de regno Dei. Omitto alia his similia quam plurima. Parem Deus rationem habet prælatorum et superiorum nostrorum, qui et ipsi Deum representant, uti legati principem aut regem suum. Hinc virga Moysis dicitur etiam virga Dei, Exod. XVII. *Cras stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea*. Gladius Gedeonis Hebræorum ducis, dicitur, *gladius Dei*, Judic. III. Debito igitur in honore et ipsi ab omnibus habendi sunt, nisi Dei iram in se concitare velint; uti senserunt Hebræi sub Sedecia rege: « Mittebat Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, etc. At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones eorum, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui: non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eorum: » ut abducerentur scilicet in captivitatem Babylonicam, II. Paral. ult. Neque hoc tam grave supplicium mirum esse debet. Si enim David tam severe ultus est injuriam, quam in suis legatis acceperat ab Hanon rege Ammonitarum, (decurtatis namque vestibus, et semirasa barba eos remisit) ut collecto exercitu eum invaserit, et de ejus exercitu quadraginta millia equitum et rursus quinquaginta octo millia aliorum ceciderit, II. Reg. X. quid mirum, si etiam Deus puniet legatorum suorum injurias, publicis aliquando cladibus et flagello universali?

Quare attendat unusquisque quomodo et quo

honore assumat Christum Dominum sive in cymbam cordis, sive in cymbam oris sui; ita videlicet tam reverenter, uti tantum Dominum et regem cælorum deceret: ne et ipse alioquin tempestatem in se concitet, et non solum tenti et mare, sed omnes creaturæ in eum insurgant, veluti in communis creatoris contemptorem.

## CONCIO III.

CUR ECCLESIAM SUAM DEUS TOT TEMPESTATIBUS FATIGET.

I. Fatigat propter fictos et falsos Christianos. — II. Propter falsos fratres et malos Christianos. — III. Propter alios fideles, ut ad preces et bona opera confugiant. — IV. Propter nos nimium securos.

## THEMA.

*Ecce motus magnus factus est in mari.*  
Matth. VIII.

Quærent ss. patres et dd. undenam orta sit hæc tempesta contra navim Christi? Et respondent plerique omnes, a Christo ipso excitatam. Ita gloss. ordinar. hic: ita Origenes (vel quis alius) hom. VI. in diversos: ita venerab. Beda, Dionysius Carth. et Abulensis, qui ait communiter sic existimari. Sed hinc exurgit alia quæstio: Quamobrem Christus contra suam et discipulorum suorum naviculam talem excitavit tempestatem? Et quia hæc navicula Ecclesiam Christi designat, quam et experimur tot tempestatibus, pressuris et calamitatibus fatigari, fluctuque uno super alterum agitari, quæ tandem hujus rei causa esse potest? Num et illas Christus excitat? Certe permittit. Sed cur non potius in Turciam et barbarorum vel hæreticorum terram illas derivat? Id enim oravit aliquando et David, Ps. LXXVIII. *Usquequo Domine irasceris (nobis) in finem? Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*. Sed quis consiliarius Dei fuit? Quia igitur Deus omnia sapientissime et justissime facit, indagemus causas harum tempestatum. Quæ causæ esse potuerunt Christi excitandi hanc tempestatem, eadem mihi videntur procellarum Ecclesiæ. Excitavit igitur eam.

I. Propter alias naves, quæ, ut Marcus scribit, comitabantur navim Christi. Qui in illis navigabant, nondum credebant Christum esse Dei Filium; quod inde colligitur, quia Matthæus ait homines miratos esse dicentes: *Quis est hic?*

Apostoli autem nunquam in evangelio appellantur *homines*, sed honorificentius; deinde ipsi mirati non essent Christi potentiam, nec dixissent: *Quis est hic?* Quia noverunt eum Dei Filium, ejusque potentiam. Fuerunt ergo homines in alijs navibus Christum comitantibus, qui mirati sunt et dubitarunt, ut recte sensit Jansenius. Credo igitur Christum propter hos imprimis excitasse tempestatem, quia nondum credebant, ut ad fidem erigerentur. Nec dubito quin etiam Ecclesiam exagitet, quia aliqui adhuc non tam in ejus navi sunt, quam eam comitantur in alijs navibus. Sunt autem ii, qui inter catholicos degunt, et catholicos se fatentur ac fingunt, revera tamen adhuc non credunt, sed hæresim in peccatore fovent. Propter istos arbitror imprimis excitari tot tempestates. Sic enim testatur Eliu apud Job, c. XXXVI. *Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint; morietur in tempestate anima eorum*. Provoquant iram Dei, qui non provocant misericordiam, cum se reos fateri et subicere, adeoque clamare ad Deum suppliciter pro venia nolunt, dum in peccatis vincti sunt: quare Deus quia tales tolerare nequit, excitare propter eos tempestatem debet, ut vel redeant, vel pereant. Quid igitur mirum, si Deus nauseam propter istos patiat, adeoque evertat Eccl. stomachum et magna licet difficultate exoneret, evomatque per procellas famis, belli, pestis? Exemplo id confirmemus. In vita S. Porphyrii episcopi Gazæ scribit ejus minister ac familiaris Marcus oculatus, et fidissimus scriptor, se cum Porphyrio navigasse Constantinopoli Gazam: eumque Rhodum transiissent: « Repente exorta est tempesta, ventique, et fulgura, et tonitrua, in altum tollebantur fluctus instar montium, et tollebatur navis, ut nos existimarem eam nubes tangere. Erant autem clamores, et lacrymæ, et oratio ad Deum: implorabamus quoque preces S. Procopii anachoretæ, etc. Dum ergo S. Porphyrius ex multa afflictione parum dormitaret, videt in somno S. Procopium eis dicentem: *Nauclearum catechismo instruite, et obsignate, (est enim ex execranda hæresi Arii) et efficite ut ipse anathemate notet Arium et malam ejus fidem, et statim cessabit tanta tempesta*. Propterea enim quod sit iste ex dicta hæresi, non concessit vobis ut ad me veniretis. Vocatus ergo nauclearus miratus, cum nemini constare potuerit ipsum esse Arium, suamque perfidiam in corde texit, statim se a Deo deprehensum, et propter se ortam tempestatem videns, manus dedit, hæresim abnegavit: interim cessarunt fluctus, et vespere rediit tranquillitas. » Ita in vita S. Porphyrii